





1799, 4.

SVM MOS  
IN IVRISSCIENTIA HONORES  
VIRO ILLVSTRI  
**CAROLO GVILELMO**  
**ROBERTO**

PROF. IVR. ET PHIL. PRACT. ORD.

A. D. V. AVG. A. N. CIO IO CC LXXIX.

RITE TRIBVTOS

INDICIT

D. CAROLVS HENRICVS GEISLER

SER. LANDGR. HASS. CONS. REG. PROF. ORD.

IVR. PVBL. FAC. IVR. ASS. ET ACAD.

H. T. PRORECTOR.



---

INSVNT DE LOCO INVESTITVRAE BREVES  
ANIMADVERSIONES.

---

MARBVRGI  
Ex OFFICINA BAYRHOFERIA

SUMMOS  
IN UNIVERSITATIA HONORES  
ALIO LIBRARIO  
CARLO GALLERIO  
ROBERTO

DE CARLO GALLERIO  
HISTORIA DE VITIS ET PLANTIS  
CULTIVANDIS  
ET TRADITIONE  
IN LIBRARIO

EX LIBRIS DE COOPERATIONE DILECTORUM  
ET COLLEGORUM

LIBRARIA

1780



§. I.

*Inuestiturae quondam sub dio peractae.*



Ad inaugurationes feudorum more  
maiorum praefentia et vasalli et  
domini opus esse, satis est expedi-  
tum effectumque a viris doctis. Nec  
vero minus est probabile, sub dio olim eas maxime fuisse  
peractas. Soliti quippe maiores omnia fere, quae sol-  
lemnitatem quamdam habebant, sub Iove et aere frigido  
celebrare, nec poterant adeo iudicia feudalia, quorum  
rationes cum inuestituris magnopere congruunt, in aedi-  
bus haberi, sed ex I. F. S. lat. c. xxxix. §. 4. et Germ.  
art. lxxvi. quod exinde etiam reliquis antiquius esse ad-  
paret, opus existimat loco aperto tectisque destituto.  
Ac de feudis imperii quidem res omnino nihil mihi dubii  
habere videtur, cum recentior adhuc aetas diu admodum  
maiora saltē sub dio tribuerit. Verum ex communi illa  
patriae

4

---

patriae consuetudine, quae traditiones in primis cum inuestitulis ut plurimum coniunctas piano sub coelo fieri iubebat, idem de prouincialibus quoque contendere non dubito. Nam et propagarunt prouinciales in primis mores domesticos ad imperium, et hodiernum multis locis ex veteri illo instituto vexilla ad inuestituras adhibent, exiguntue pecunias vexillares, quas ipsas feuda nonnumquam vexilli, quorum inuestitura sub dio peragenda erat, vocari consueisse AVENTINVS a) auctor est. Nec desunt adeo, quod maximum est, hanc in rem auctoritates charterum, non multae illae quidem, notariis scilicet rei notae commemoratione non vbiique opus arbitratis, sed tamen quaedam, vti Conradi Hildesemensis b) An. ccccxxx. in pomerio Eschertos aliquot inuestientis, aut Nobilium de Bouenten Broschio c) cuidam incerto anno bona aliqua in quodam placito, quod fuit in loco, qui dicitur Rys, iure feudaliter porrigitum.

### §. II.

#### *Deinde in aedes et cameras translatee.*

Ast ex intemperie aëris transtulit deinceps delicior paullatim aetas inaugurationes in aedes maxime publicas, adeo vt praeter tempula et coemeteria I. F. A. c. xli. §. 4. ed. Schilteriana, vnde Codd. Senkenb. emendandi sunt, omnibus eas locis fieri fineret. Inualuit hoc primum in prouinciis, reperiisque adeo d) Henricum Palatinum iam An. ccccxxxiii. Ottoni puero feuda sua *cupheo a capite demto in palatio conceffisse*. Imperatores autem licet lubenter credam minora inter cameras parietesque mature tribuere coepisse, in maioribus tamen, quae cum pompa

a) in Ann. Boic. l. VII. p. 428. c) apud SCHEIDIVM de Nob. Ed. ant. P. 303.  
b) apud BOEHMERVM in Obs. d) in ORIGG. GVELFF. T. IV. tur. feud. p. 275. p. 98.

5

pompa cursuque equestris capienda erant, diu adhuc pristinos seruarunt mores. Evidem non ignoro, quae BOEHMIVS V. A. proposuerit ex scriptoribus Maximilianeis exempla inuestiturae feudorum imperii in camera §. 10. seqq. neque eas in aetatem Caroli V. reiicere cupio, imo vero diu ante Maximilianum ab Andrea presbytero Ratisbonensi in diario sexennali e) ad An. c. 1540 ccccxxv. scriptum reperio: *Rex Romanorum Sigismundus sibi (h. e. Ludouico) principatum in Straubing sub vexillo et imperiali maiestate residens contulit.* Et eum quidem principatum prius ad iura sua contulerat Wilhelmo et Henrico Ducibus Bauariae, sed tamen in loco priuato, idque exemplum in antiquissimis ponendum arbitror, cum de Ottocari inuestitura Rudolphi ne per HORNECCIVM quidem plane res sit expedita. Sed nihilo tamen secius ipsius Caroli V. aetate ita nondum id genus inuestiturae inualuerat, vt nouitatem effugeret. Nam et satis constat multis demum annis post id ab vsu plane recessisse, et vero etiam HVERTVS THOMAS LEODIVS f), de inauguratione Principis sui in comitiis Spirensibus An. c. 1545 relaturus, caute, *Imperator, inquit, diem Principi indixit, qua eum inuestiret, seorsum quidem propter non satis firmam valtuinem, qua adueniente Princeps in praesentia omnium Electorum, quod rarum est, in verba eius solemniter iuravit, nisi forte raritatem et insolentiam, quod illis temporibus vix putem, ad solam praesentiam omnium Electorum referendam arbitreri.*

### §. III.

#### *Mox inter procuratores celebratae.*

Sed praeterea etiam ex iure peregrino alia accidit paterni moris mutatio. Nam cum Langobardi g) nihil

e) ap. OEFELIVM To. I. Script. stis Friderici II. Elect. Pal. lib. XIII.  
Boic. p. 25. P. 259.

f) in Ann. de vita et rebus ge- g) II. F. 3. §. 3.

interesse putarent, utrum ipse vel alius pro se inuestituram faciat vel suscipiat, sed hoc negotium et per procuratores ab utraque parte expediri posse statuerent: maiores non eadem quidem statim vi, quam adcurate, ut solet omnia, explicuit BOEHMERVS h), vir praestantissimus, sed tamen cito per alios inuestire coeperunt. Factum hoc initio plerumque rogatu vasallorum, qui procul essent a dominis constituti, nec satis sibi sine sollemnitate per prorogationes inuestituree aut codicillos dominorum consultum crederent. Neque enim vicario illo inuestiendi genere confessim euerfi mores patrii, sed soliti etiam domini, si quid impedimenti vasallis incideret, aut differre plane inuestituras in opportunitiora tempora, aut dare interea temporis vasallis codicilos, ex quibus feuda possiderent, cuiusmodi praeter alios complures inprimis sunt Iutiae, Abbatissae Quedlinburgicae i), Rudolfo Saxonii An. ci.cccxl. absenti feudum concedentis addita adeo clausula: *wer is ouch, daz er and sine Erbin so schier zu uns nicht kommen möchten, das sie daz vorgenante Hus-liplich von uns entphingen, das sol im und sinen Erbin an irer Lehen nicht schaden.* Tandem vero inuestituree ulro etiam tum extra curias, tum in curiis per procuratores fieri coeperunt, constituendis aut in perpetuum, aut singulas ad caussas, qui vel singulatim vel collegialiter sacra dominorum vice vasallis feuda erogarent.

#### §. IV.

*Vnde pleraque ad curias et praefecturas redactae.*

Attulit hac in re quidem fraudulentia inprimis singulorum, quibus id negotii datum, iuribus dominorum permultum passim damni, recteque adeo superiore adhuc seculo per occasionem eiusmodi postulati Consiliarii augu-

h) in Obff. iur. feud. p. 249. f. q. i) apud ERATHVM in Cod. dipl. p. 460.

Itales apud MOSERVUM k) An. CIOIOXLVII. scripserunt:  
 Ob Jhr Kayf. Mai. bewilligen und dem Herrn Grafen von  
 Nassau deßwegen Vollmacht auftragen sollen, daß die Belehnung  
 nit allher (Viennae), sondern mediate zu Münster  
 geschehe, und das iuramentum in manus Commissarii Caesa-  
 rei durch den von Mettenes abgeleget werden solle, da erin-  
 nerte sich zwar ReichsHofrath, daß bey vorigen Roemischen  
 Kayfern zu Zeiten geschehen, daß selbige per Episcopos vel  
 alios Status imperii die Lehen verleihen lassen, welches aber  
 wegen des daraus entstandenen Mißbrauch vndt daß solche  
 inuestientes die Kayf. ReichsLehen ihnen ofttnals aigen ge-  
 macht vnd hernach die Lehenbrief auf sich selbsten ausferti-  
 gen lassen, wieder in abgang kommen. Ceterum tamen  
 vicaria illa inuestiendi ratio adeo comprobata fuit maio-  
 ribus, vt plerisque paullatim inuestituris vel ad curatores  
 rerum feudalium, vel ad collegia reipublicae superiora,  
 vel ad praefecturas etiam prouinciae redactis ad extreum  
 paucissimae per dignitatem fere vasallorum ipsis dominis  
 relinquerentur. Quod cum de imperio per se constet,  
 etiam quamplurimis prouinciarum exemplis facile demon-  
 strari potest, quandoquidem apud Brandenburgicos Rex  
 praeter Principes Sileiae neminem ipse inuestire solet,  
 similiterque apud Culmbacenses 1) noui solos Comites,  
 vbi praefto ipsis fuerint, a Principe, reliquos omnes a  
 comitibus consistorianis adscitis aliquot ex Regimine, tam-  
 quam ex curia feudali, consiliariis inuestiri. Neque apud  
 Saxones, licet vinculo feudali landsassiatum quammaxime  
 confirment, quisquam amplius inuestituram ab ipso Ele-  
 ftope impetrat, nisi quod Commendatores Ordinis Teuto-  
 nici sub initium muneris fidem ei priuatim ac sine pompa  
manu

k) von der Lehniverf. p. 31.

1) Scribo haec sive libelli cuius-  
 dam MS. quem ad explicandas Culm-  
 bacensem consuetudines magno stu-  
 dio composuit MOHRIVS. Consula-  
 rius quondam intimus et Praepositus

fendorum, sub titulo: Zusammen-  
 trag der von Altersher bey den dem  
 Hoch-Fürstl. Hanße Brandenburg-  
 Culmbach zugehörigen Lehen einge-  
 führten Lehnsgewohnheiten An. 1749.

manu stipulata promittere norim, quod ipsum tamen ad homagium potius, quam vasallagium reddit.

### §. V.

#### *Locus inuestitutae arbitrio domini permisus.*

Patet vero exinde ab arbitrio dominorum proprie pendere, per quos quoque loco inuestituras fieri velint. Quod constituitur vel singulatim, quoties inuestitura celebra est, vel generatim editis et legibus, quod nunc potissimum seruatur. Hunc quidem in modum de feudis Hassiacis An. c<sup>o</sup> 15LIII. Philippus Magnanimus m) edixit: *Zu Marpurg iuu ufer Cantzlei ist bishero nicht breuchlich gewesenn, soll auch noch pleiben vnnd hinfuro nicht zugelassen werden, das Lehen oder guter, noch auch sonst brieff wie das gnant gegeben werden, sondern die selbenn sollenn allen am Hou, dahinn sie gehören, gewiesenn werden, scilicet propterea, quod se et quaestore suo (Cammermeister) inciso feuda erogari nolebat.* Similiterque in Saxonia electoralı constat, inuestituras feudorum ad septem illos circulos, quibus prouinciae electorales maxime describuntur, pertinentium curiae Dresdeni ita vindicatas, ut de feudis rusticis tantum aliisue minimi generis praefatis n) inuestire liceat.

### §. VI.

#### *Modo non sit inuestitura propria.*

Sed variis tamen modis arbitrium illud domini in constituendo loco inuestitutae circumscriptum esse potest. Ac primo quidem per se fere intelligitur, neque opus habet copioſa demonstratione, inuestitoram propriam fieri non posse, nisi in re aut feudo praesenti. Est enim cum insi-

m) in der Saml. der Hess. Landes-Dranung, To. I. p. 448.

n) v. WABSTIVS von der Chur-Sachsenſchen Justiz-Verfassung p. 262.

institutione, quam ius canonicum vocat, aut translatione verae et naturalis possessionis coniuncta, quae necessario praesentiam rei desiderat. Symbolis quidem aut qualibuscumque verbis re absenti adhibitis ipsam rei feudie possessionem hautquam adquiri dubio caret, ac solet adeo ipsa illa institutio, cuius natura cum inuestitura propria magnopere conspirat, ex inueterato vsu iurisque canonici o) auctoritate deductione maxime in chorum et stallum peragi. Iam huius quidem inuestiturae nostra aetate aut nullus plane, aut perquam faltem rarus est usus. Ast opus tamen est hac animaduersione ad intelligentiam præteriti temporis, quo id genus inuestituae quammamaxime frequentatum fuit, adeo, ut ne exempla quidem propnenda putem, quae ex collectionibus veterum chartarum potissimum de allodiis, quae inuestitaram pepererunt, facillime haberi queant.

### §. VII.

*Aut vasalli extra prouincias dominorum non euocentur.*

Deinde vero vetus est præceptum I. F. A. p) curias regales, in quibus plerumque fiebant inuestiture, habendas esse in Germania, quod cum non semper olim seruatum esset, ipsa dein Capitulatio Caesaris q) repetiit, atque inuestituras feudorum imperii extra fines Germaniae fieri vetuit. Neque dubito etiam provincialium causâ vasallos ad inuestiture extra prouincias dominorum vocari nequire. Pertinent enim ad potestatem dominorum extrajudiciale, qua intra fines cuique suos vtendum est, nisi forte feuda sint extra curtem sita, quae licet alias naturam feudorum reliquorum sequantur, saepenumero tamen id habent præcipui, ut in ea, vbi sita sunt, prouincia per inuestitoram ero-

o) c. 22. 25. X. de præb. et p) c. XLI. §. 2. ed. Senck.  
digiL q) Art. XVI. §. 2.

erogentur. Satis quidem notum est, in Austria multis hucusque (extincta enim aliquando familia Franconica per puperam pacem vincula illa soluentur) per modum iuris cuiusdam singularis auctoritate et ex mandato Brandeburgicorum inuestitos fuisse de feudis, quod quomodocumque factum sit, a iure communi abhorret.

### §. VIII.

*Aut vasalli ex una prouincia aut curia ad alteram non transferantur.*

Sed posthaec etiam, vbi plures sunt domino prouinciae aut curiae, ex vna vasallos in alteram inuestituras caussa trahere non licet, nisi fuerint realiter iunctae feudoue aperto ad dominum superiorem subfeuda deuoluantur. Vnde recte quidem Hassi vasallos Schaumburgicos, quos extinctis Comitibus ex dominio superiore sibi vindicarunt, separatis licet etiamnum ipsius Comitatus ab Hassia rationibus, ad curiam Cassellanam r) retulerunt, contra Saxones Austriacique, vt ne plures dicam, ipsi intellexerunt vasallos Lusatiae Bohemiaeque eo, quo olim, loco esse inuestiendos. Sua enim utrique propria est disciplina et constitutio, qua a reliquis Austriacorum Saxonumque prouinciis, quibuscum personali tantum vinculo coniunctae sunt, quammaxime discrepant, adeo, vt ne feuda quidem ipsa eodem iure vtantur, sed proprii permultum habeant.

### §. IX.

*Aut iidem a superiore ad inferiorem non ablegentur.*

Cui addendum videtur praeterea, etiam in prouincia non posse inuestituras ab uno collegio ad alterum in primis inferius promiscue transferri, sed cum favor maxime et caussa vasallorum subsit, peragendas esse ab eo, cui ab

initio

r) v. Saml. der Hess. Landes-Ordn. To. II. p. 161. sqq.

initio mandatae sint, nisi mutuo vasalli ac domini consensu  
aliud conuenerit. Collegium enim ipsum mandare posse  
vehementer dubito, sed communis potius iuris arbitror,  
quod Maximiliani II. aetate de feudis apud LVNIGIVM<sup>s)</sup>  
ab Austriae rogatum reperio: ist Vnser Wil vnd Mainung,  
das die Lehens Pflicht sowohl von auslendischen als innwoh-  
nenden Lehen Leuthen nirgend anderst, dann vor Vnserer  
Regierung der N. Oe. Landen, wie das alt Herkommen ver-  
mag, geleistet vnd praefiret werde, und sol bey ihnen einige  
andere Commission oder Delegation nit stat haben. Evidem  
reste arbitror conquerorum esse vasallum, sicubi ad inue-  
stiendum a collegio ad praefectum aliquem scribamue col-  
legii mittatur, quod posterius inprimis vsu non est infre-  
quens.

### §. X.

#### *Aut non derogetur priuilegiis vasallorum generalibus.*

Verum multi etiam vasallorum moribus hoc vel pri-  
uilegiis habent, vt vel in suo demum, vel in prouincia,  
vbi situm feudum, vel etiam intra certum aliquem tractum  
territorii dominici inuestituras capiant. Vasallos quidem  
Lusatiae inferioris Ferdinandus I. Imp. apud LVNIGIVM<sup>t)</sup>  
ex patria ad inuestituras euocari vetuit, eiusque generis  
exempla plura partim collecta sunt a BVDERO v), partim  
etiam facile haberi possunt ex aetate media, qua multos  
vasallorum imperii ex perpetuis Imperatorum profectio-  
nibus opinio incesserat, non esse illos per vniuerlam Ger-  
maniam inuestiture causfa anquirendos, sed esse illam  
inter certos fluiorū regionumue ambitus capiendam.  
Leodienses quidem aliique Germanorum ita arbitrati,  
adeo, yt cum BVDERO x) multi Mosam iis hanc ob rem

B 2 tra-

<sup>s)</sup> in Corp. iur. feud. To. III. p. 735.

<sup>t)</sup> in Corp. iur. feud. To. II. p. 591.

<sup>v)</sup> in Amoen. iur. feud. p. 22. 199.

<sup>x)</sup> in Opusculis p. 494.

traiiciendam fuisse olim negarent, Scabinisque adeo Francofurtanis perpetuum quendam vicariatum ea de re tribuerent. Quibus vicibus licet Scabinos non perpetuo, sed ex mandatis peculiaribus Impp. demum OLENSCHLAGERVS y) contendat funtos esse, ipse tamen illos Moenum inuestiturae causa superasle negat, quod plane non mirum. Nam propter dicrepantia quoque iurium vltro nonnumquam datum videtur vasallis, vt nonnisi inter suos inuestirentur, cum pro diversitate situs feuda vnius domini saepenumero quammaxime different, et quod KREMERVS z) adcurate notauit, Palatina v. c. cis et trans Rhenum variis plane iuribus vterentur.

### §. XI.

*Aut a solio non aliorum reiificantur vasalli.*

Praeter haec autem, vt pergam, supra iam est admonitum, redactis plerisque inuestiturarum ad alios, qui vice dominorum fungentur, seruatas esse quasdam in primis feudorum maiorum ipsis dominis, neque dubium est, quin domini inuitis eas vasallis mandare alii, atque a se vel a solio aliorum deprimere nequeant, sed ipsi eas ritu formulaque sollemni peragere debeant. Subest enim hac in re partim dignitas vasallorum, cui detrahere dominis non licet, partim etiam causa et conditio feudorum ipsorum, quam ex arbitrio domini non magis mutare possunt, quam vasalli, quippe qui viciissim, si qua praeterea minora habent feuda, ea per necessitatem aliquam ad solium domini reuocare nequeunt, sed, nisi gratificetur sibi dominus, separatim ea suo loco impetrare debent. Quam in rem ad prime olim Guilelmus Iuliacensis An. 1515LXXXII. aa)

y) in Hist. Acad. Palat. To. II. p. 225. sqq. aa) in der Lehns-Ordnung c. III.

z) in der Geset. des Wild. und Rheingriff. Hauses p. 43. p. 110, Edit. Dusseld. (An. 1610. fol.)

constituit: So auch einiche Lehen vorquemen, die man von alters her bei vns oder unsfern verordneten Rheten entfangen hatte, sol der Stathalter (h. e. praepositus feudalis) die nicht annemen, sondern dahin weisen. Wa aber durch Mangel der Stathalter einiche Lehen inwendig den negsten zwelff oder vierzehen jaren bei vns oder unsfern verordneten Rheten entfangen, die vorhin bei den Stathalter pflegen entfangen zu werden, dieselbige sollen auch hinfürter der entfenchmß halber bei den Stathaltern gelassen werden.

### §. XII.

*Atque in vniuersum nihil fiat contra morem  
maiorum.*

Vnde etiam denique adparet, in vniuersum hac in re omnia fere pendere a moribus, quibus ita temperatur arbitrium domini, vt discedere ab iis non facile possit, nec, quae olim licuere, nunc quoque mutato temporum rerumque statu promiscue sibi licere existimet. Magnopere quidem errare arbitror, qui sub dio inuestituras instaurari a Caesare posse perhibent, cum praeter arbitriam illam absentiam praesentiamque vasallorum, quam GVNDLINGIVS bb) suo iam tempore recte obiecit, nunc etiam per constitutionem Capitulationis cc) de feudis throni, quomodocumque eam aestimes, arbitrium eius rei Caesari adentum sit, atque exinde adeo ea quoque, quae postremo fere loco HANSELMANNVS dd) ex natura rerum merae facultatis opposuit, per se collabantur, vt refutatione opus non sit.

### §. XIII.

- bb) in Commentat. de feudis Reichslehnbare immediate Graf- und Herrschaften ohnmittelbare Fehnen vexilli §. 44.
- cc) Art. XI. §. 7.
- dd) in dem Beweise, daß die fol.) p. 15.

---

### §. XIII.

*De reliquo inuestiturae intra certas aedes  
non redactae.*

Ceterum, vt dixi, sine eiusmodi exceptionibus penes dominum est, quo loco vel ipse vel per alios feudum vasallo erogare velit. Sunt quidem inuestituras pro diuinitate earum propria plerumque loca, præatoria aut conclavia destinata, feruntque adeo, (neque enim ad manus mihi est Historia diplomatica Norimbergensis, vt inspicere possim) iam olim Sigismundum Imperatorem condidisse in foro solium, quo ipse cum successoribus ad inuestituras vteretur, eiusque causa Fureris maxime aliquot priuilegia tribuisse. Neque est autem existimandum, aliis locis aedibusque non dicere eam ad rem vii, imo vero, si consueto ceteroquin more peragi testiumue copia haberi queat, pro lubitu vasallum dominus aliorum ad inuestituram vocare potest, adeo vt etiam in villis ac ruri recte detur. Detrectarunt hoc quidem nonnumquam Ordines imperii, vt praeter alios in primis **LvEWIGIVS ee)** refert, sed in promtu fuit Caesaris refutatio, cum dudum esset I. F. S. ff) scriptum: *vbi rex iudicat in aperto, ibi est curia sua*, aut quemadmodum in Germanico gg) habetur: *wenn swo der Kung offenbare teidinget, dar ist der hof.* Vnde etiam cum Leopoldus Augustus An. **cicic LXI.** legatos Friderici Guilelmi Brandenburgici ad inuestituram Eberstorffum vocasset, **PVFENDORFIVS hh)** eos quidem paullisper dubitasse refert, *num e dignitate esset, eum actum ruri peregri, quem alii Electores in urbe Imperatoria receperissent, sed placuisse tandem voluntati Caesaris non reluctari declinandae offensae, cum vbi Caesar esset, ibi et aula esset, ac Eberstorffum partem regiae esse,* quo

*ee) ad A. B. To. II. p. 1328.*

*gg) art. LXXVI.*

*ff) c. XXXIX. §. 1.*

*hh) de Reb. Brandd. IX, 37.*

quo Caesar se quotannis ad certum tempus recipere soleret;  
eiusmodi quoque astus certo loco haut alligatos, qui et ali-  
quando in campo ac nudo sub aethere essent celebrati.

### §. XIV.

*Cuius generis exemplium refertur.*

Proposita mihi fuit eiusmodi quaestio superiore anno.  
Episcopus nobilem quemdam imperii, cuius maiores  
perpetuo ordine feuda ab Episcopis in solio sub umbella  
confidentibus suscepserant, conuiuioque dein excepti fue-  
rant, inuestiturae causa initio ablegabat ad curiam, dein  
repugnantem rus vocabat in villam, conuiuio ceteroquin  
et compotatione, ut mos ferret, hautquaquam defuturus.  
Quaerebatur, an obtemperandum esset postulato Episcopi.  
Respondi ex iure et facto, quemadmodum proponebatur,  
non esse quidem inuitio adeundam curiam, ceterum vero  
obsequendum Episcopo, modo per ornatum et suppelle-  
talem villae inter recepta sollemnia peragi inuestitura  
posset. Nam quod scyphos dapesque spondebat, id a reli-  
quo loci cultu liberare dominum non poterat, cum pocu-  
lum conuiuiumque non peragat inuestitiram, ut nonnemo  
nuper admodum scite opinatus est, sed, quod exempla  
apud LVNIGIVM ii) docere hominem poterant, finita  
inuestitura firmandae amicitiae et hilaritatis causa adhi-  
beatur.

\* \* \*

Nolo ipsum responsi carmen expromere, sed ad eum  
conuerter, cuius causa haec scripsi. Inauguratus renun-  
ciatusque fuit hoc ipso die in Consistorii publico Doctor  
iurisscientiae VIR ILLVSTRIS CAROLVS GVILELMVS  
ROBERTVS, de cuius vita, scriptis et institutis non

opus

ii) in Corp. iur. feud. To. III. p. 70. 1018.



opus est dicere. Constat enim eum, postquam ex itinere Gallico, Heluetico et Belgico redux factus per tredecim annos theologiam in hac academia summa cum laude docuerat, abdicasse superiore anno se sponte et vltro suisque de causis munere, quod gesserat, theologicō, translatumque fuisse ad ordinem iurisconsultorum. Horum igitur ornamenta vt more a maioribus recepto consequeretur, explanatis, quae ei praescriptae erant, legibus adsumto defensore GEORGIO GVILELMO SCHOEDDIO, Northusano Hasso, alacris cultique ingenii iuuene, de diuerso poenarum genere ex mente C. C. C. indeque oriente discrimine inter delicta ciuilia et criminalia nequaquam negligendo libellum ad disceptandum proposuit, eoque facto auctoritate Caefarea et sub auspiciis Serenissimi ac Potentissimi Principis FRIDERICI II. Landgrauii Hassorum, Rectoris Magnificentissimi, adnuente Virō Perillustri, AEMILIO LVDOVICO HOMBERGKIO ZV VACH, Procancellario aca- demiae, ex decreto Ordinis nostri per Virū Illustrem IOHANNEM ANDREAM HOFMANNVM, Iuris- scientiae Doctorem ac Professorem Facultatisque iuridicae Assessorem, honores et iura Doctorum impefravit. Quae omnia rite et ex praescripto esse peracta, his litteris publice testor. P. P. in ACADEMIA MARBURGICA A. D. V. AVGVSTI AN. CIC 10 CC LXXIX. SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORE.

(L.S.)

Marburg, diss., 1773-  
8


ULB Halle  
005 359 880

3



vDn8





SVMMOS  
 IN IVRISSCIENTIA HONORES  
 VIRO ILLVSTRI  
**CAROLO GVILELMO ROBERTO**  
 PROF. IVR. ET PHIL. PRACT. ORD.

A. D. V. AVG. AN. CICIO CC LXXIX.

RITE TRIBUTOS

INDICIT

**D. CAROLVS HENRICVS GEISLER**

SER. LANDGR. HASS. CONS. REG. PROF. ORD.

IVR. PVBL. FAC. IVR. ASS. ET ACAD.

H. T. PRORECTOR.



INSVNT DE LOCO INVESTITVRAE BREVES  
ANIMADVERSIONES.

MARBVRGI  
EX OFFICINA BAYRHOFERIA